differentia, quod habitus diutissime permanentes dispositiones sunt. Dispositio autem facile mo-
bilis habitus. Et si horum exempla quaeramus, haec poterunt inveniri. habitudines sunt artes, disciplinae, vir-
tutes. Namque ars non facile mobilis videtur et diutissime permanere. Hoc enim ars ipsa meditatione et usu
atque exercitatione non perit. Quis enim est qui sciens recte grammaticam nulla vi interveniente
validioris passionis amisit. Fertur enim quidam summus orator aegritudine febribusque decoctus
omnem litterarum amisisse doctrinam. In aliis vero rebus sanum ac sibi constantem et omni re vigorosum (quasi valens) permansisse.
Disciplina quoque etiam ipsa est in permutatione difficilis. Quis sit sciens triangulum directis angulis Δ
tres interiores habere angulos. hanc scientiam praeter vim ut dictum est fortioris passio[illegible]nis
amittat. Virtutes quoque in eodem genere ponendae sunt. Virtus enim nisi difficile mutabilis non est. neque enim
qui semel iuste iudicat iustus est. neque qui semel adulterium facit non est adulter. sed cum ista voluntas cogitatioque
permanserit. Aristoteles enim virtutes non scientias ut Socrates. sed habitus in ethicis suis esse declarat.
Quocirca constat esse habitus stabiliter permanentes. difficillimeque mutabiles. sed tantum excepto ut non
eas vis aliqua maior alicuius permutationis impellat et destruat. Affectionis vero species sunt ut calefactio
atque perfrictio et aegritudo atque sanitas. cum ad eas quodammodo sit homo dispositus atque affectus non tamen immu-
tabiliter aut caloris qualitatem habeat aut frigoris. sic nec perpetuo sanitatis aut perpetuo aegritudi-
nis. Quin etiam si qua sunt quae longi temporis aegritudinem corporibus inmutabiliter inurant ut ea iam in na-
turam quodammodo corporis cuiusque transierint. ut si quis percussus cicatricem faciat insanabilem. illi ex dis-
positione et affectione quodammodo factus est habitus. quocirca recte dictum est dispositiones inveteratas
habitus facere. Nam cum quaelibet dispositio permanens et difficile mobilis facta sit illa iam non dispositio
aut affectio sed habitus vocanda est. Manifestum est autem quoniam haec volunt habitus nominari quae sunt diuturniora
et difficile mobilia. Namque indisciplinatos non multum retinentes sed facile mobiles dicunt habitum non habere
quamvis sint ad disciplinam per eius melius dispositi. Quare differt habitus dispositione quod hoc quidem faci-
le mobile est. illud vero diuturnius et difficile mobile. Habitus esse qualitates non facile mobiles et diuturnis-
sime permanentes hoc argumento confirmat. quod quibus quaelibet scientia traditur si ab eis non fortiter addiscatur
eos eius rei quam discunt habitum retinere non dicimus. Qui enim litteras discens nondum soluto cursu sermo-
nis sed syllabatim quodammodo atque intercise per imperitiam legerit. eum quidem dispositum esse atque affectum dicimus ad
scientiam litterarum. non tamen adhuc ullum habitum retinere. Quare idem quoque est in aliis rebus. Omnis enim quicumque
ad aliam rem dispositi. ei rei quasi aliquomodo affecti non diuturnam in se receptionem habent. eos ad illam rem

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BSB Bayerische StaatsBibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm21564/0114